



**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

Sfondrati, Celestino

[S.l.], 1688

6. Respondetur ad Libellum Anonymi: & primò ostenditur, nullam
Lavardino ab Innocentio XI. Pontifice Maximo injuriam factam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62944)

commendabat, minimo contentus, hoc est, pro Legato non agnoscere, Deumque publicis precibus placare. Nec unquam Lavardinum, pro excommunicato declarasset, nisi ille palam & cum pompa contemptum professus telum ab invito extorsisset. Quod si animus erat Pontificem spernere, quæ rogo necessitas id cum tanto apparatu, fastuque ostentare, ipsaque nocte flagrantis totâ urbe pietatis? Nec dici potest, non id Lavardinum prævidisse; nam Pontificis animum, cum de festo sanctæ Luciae ageretur, jam exploraverat. Sed age, Anonymi Auctoris Libellum quique Lavardini Advocatum se fecit, jam percurramus.

VI. Primò igitur opponit Anonymus: (a) *Nihil unquam injustius majorique injuriâ contra Principum Legatos, quam quod nuper Romæ contra Lavardinum tentatum esse.*

R. Antiquissima est præpotentium querela, ut sibi injuriam fieri dicant, cum aliis

(a) *Pag. 1.*

aliis faciunt. Quoties ovibus à Lupo
 objectum est, turbari ab illis fontem, cum
 tamen infra lupum aquarentur? si inju-
 ria est, quidquid Gallo non placet; fa-
 teor magnam accepisse Lavardinum: &
 nego hinc oportere injuriam aestimari.
 Dicitur ergo injustum, quidquid fit con-
 tra jus alterius: prius ergo probari oportet,
 jus fuisse Lavardino, invito Prin-
 cipe, ad quem mittebatur, se pro Legato
 ferendi, implendiq; metu & armis ur-
 bem, ut reliqua tamen superius narrata,
 & quæ non dicam, nullus Principum, sed
 neq; ullus Paterfamilias domi suæ pate-
 retur. Hæc si jure fecit Lavardinus, ac-
 cusare Pontificem potest; sed cui mortali-
 um persuadebit, id jure factum? Com-
 parentur, quæ Pontifex à Lavardino tan-
 to jam tempore passus est Romæ, quæque
 Lavardinus à pontifice; & mox consta-
 bit uter injuriam acceperit.

VII. Secundò: *Ignarissimos esse ju-
 rium dicit, (a) quæ Regibus conveniunt,*
 qui-

(a) *Fol. 2.*